



Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Arsdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter
accommodatæ ...

Complectens copiosè Resolutiones Theologicas, etiam modernas, ad
proxim accommodatas

Archdekin, Richard

Antverpiæ, 1682

Caput 4. De quarto Præcepto: Honora Patrem &c.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40873

C A P U T I V.

*De quarto Præcepto, Honora Patrem &c.**§. 1. De obligatione Liberorum erga Parentes.*

1. EX Præcepto divino obligantur liberi Parentibus, & alijs Superioribus, ad præstandum amorem, reverentiam, & obedientiam, adeò ut, si in aliquo horum graviter deficiant, peccent mortaliter.

2. Hinc graviter peccat filius contra *amorem* Parentibus debitum, si signa odij illis ostendat, eosque durius habeat. 2. Si necessitate, vel spirituali, vel corporali urgente, eis non subveniat. 3. Si passim torvo oculo eos aspicio, asperè que loquendo ita se gerat, ac si eos odisset. 4. Si hæres cùm sit, eorum legata & testamenta non impleat. 5. Si mortem aut aliud infortunium grave illis optet. Ita *Navar. Regin. Fil. &c.*

3. Contra *reverentiam* peccat etiam graviter: si deliberatè eos ad iracundiam gravem irritet, verbis contumeliosis, aliisve quibus sciat graviter offendendos. 2. Si eos percutiat, quamvis leviter, quin ut *Reginaldus* censet, si vel manum ad pecuniendum deliberatè attollat. 3. Si pauperes agnoscere nolit ac despiciat, si tamen iusta ex causa nolit eos apud se habere, atque exterius tantum se nosse dissimulet, modo de necessariis ijs prospiciat, à gravi delicto excusatur: eo quod parentes tali casu rationabiliter non sint invititi.

Bonacina aliisque.

4. Contra *obedientiam* graviter peccat, si in ijs, quæ ad bonos mores, gubernationem domus, vel animæ salutem spectant, ubi res gravis est,

sit

Pars 3. tract. 5. cap. 4. De quarto praecepto. 475
sit inobediens. *Fili. q. 10. n. 20.* 2. Si uxorem ducat se plane indignam contra expressam parentis voluntatem. 3. Si sine justa causa uxorem eam recuset ducere, quam jussit parens, praesertim si parentum id suadeat necessitas; justa vero causa videbitur recusandi, si vel sit immorrigera, vel deformis, vel infamis, vel denique animus ab ea multum aversus sentiatur. 4. Si nupserit parentibus inconsultis, ut vult *Sanches*: nihil tamen prohibet contrahere cum se digna, si ubi consuluit parentes, id ipsi denegent. Nam quisque in electione status, sui juris esse censetur.
Sanch. l. 4. c. 15 &c.

5. Proles ad alendos parentes inopes obligantur, adeo ut si juvari aliter non possint, & urgat necessitas gravis, teneatur manere in saeculo, & si quidem religionem ingressa sit, egredi, & juvare parentes. Post professionem, tantum tenetur si necessitas sit extrema: eo que casu pergit adhuc obligari ad servandum substantialia sua Religionis. *Lessius l. 2. cap. 41. dub. 3.*

Quares primò, An filiis fas sit aliquando parentes criminis reos accusare, vel ad Iudices deferre?
Respondeo, Filiis id illicitum esse, propter naturalem reverentiam parentibus debitam: præterquam in duabus potissimum causis; primò, quando parens esset hostis aut proditor patriæ: secundò, quando in Principis necem vel interitum conspiraret. Quia ratio docet communem Reip. salutem, privatæ præferendam esse: estque haec communis opinio apud Angelum, Sylvest. Azor. Navarrum in *Manu-*
ali cap. 14. n. 12. qui docet cum Azor aliisque filium eo casu non tantum posse, sed etiam teneri parentem accusare, si desit alius qui patrem sceleris authorem comodè possit Judici indicare;
ad

476 Pars 3. tract. 5. cap 4 De quarto precepto.
ad hoc enim obligat lex ordinatæ charitatis.

Quæres secundò, Quid si parens sit occultè hereticus, an filius teneatur eum denunciare?

Respondeo, filium ad hoc saltem teneri, quando parens falsâ doctrinâ alios corruptit, aut à vera religione singulari conatu avertere studet. Quia hæresis nisi impediatur, ut cancer serpit, & pestiferum virus occultè infundit. Et ita docet cum aliis Alexander Asten. Azor. Cajetanus in cap.

13. Deuteronomij: ubi statuitur ut pater prodat filium impium: ergo eadem ratione filius patrem Deo impium, & hæreticum deferre debet, ut ipsius aliorumque saluti proficiatur.

Quomodo filio, aut filiæ possit permitti matrimonium cum hæreticis vide tract. 6. quæst.

23. &c.

§. 2. De obligatione Parentum erga liberos.

1. C^retum est parentes, avum, aliosque maiores jure naturali graviter obligari ad procurandam educationem, & conservationem liberorum.

2. Mater secundum jura tenetur prolem alere ad annum usque tertium finitum: quæ sequitur educatio usque ad emancipationem ad Patrem spectat. Excipe, nisi hic esset pauper, & mater haberet media sustentationi proli idonea. Laym.

l. 5. t. 10. c. 3. &c.

3. Pater obligatur non tantum proli legitimæ, sed etiam spuriæ, ex jure Canonico, alimenta procurare, & honestas artes, & dotem filiæ, juxta suum statum, si indigeant. Peccat proinde omittendo saltem mediocrem diligentiam, ut in hunc finem media acquirat, aut si bona ad hoc necessaria dilapidet. Neque potest dotem filiæ, aut

Pars 3. tract. 5. cap. 4 *De quarto precepto.* 477
aut patrimonium filio denegare, ex eo quod hic
Ordines facros suscipiat, aut filia invitis paren-
tibus alicui nupserit. *Bonac. Azor, Reginaldus.*

4. In necessariis ad salutem ut liberi instruan-
tur curare debent parentes. Hinc graviter pec-
cant, primò si quantum in ipsis est non curent,
ut bonis moribus imbuantur, vitent prava con-
sortia, mandata Dei & Ecclesiæ observent, Sa-
cramenta frequentent, Christianam doctrinam
seu rudimenta fidei addiscant. Si vel exemplo,
vel consilio eos depravent: denique si dissolutos
moderatè non puniant aut objurgent. *Sylv. Sot.*
Bonacina.

5. Sunt tamen aliqui casus in quibus Pater fi-
lium possit exhæredare: si novercam seu Patris
uxorem cognovit carnaliter, si cum gravi dis-
pendio parentum bona dilapidârit, si testamen-
tum à parente condi impedierit, si Patri deten-
to in carcere succurrere detrectaverit fideju-
bendo. Denique si proles ante annum vigesim
quintum vitam elegerit luxuriosam.

6. Atque hæ quidem causæ valent, quando' fi-
lijs aliundè superest undè vivant, ut fiat exhæ-
redatio juxta normam juris Canonici, quod re-
quirit ut causæ in testamento exprimantur. Ve-
rum quandò, & ubi fieri possit, sæpè etiam pen-
det à jure civili, & municipali variorum loco-
rum.

Quæres primò, An Pater teneatur dotare fi-
liam volentem ingredi Monasterium?

Respondeo teneri, eo casu quo teneretur il-
lam dotare volentem matrimonio temporali se-
copulare. Quia coniugium spirituale favorabi-
lius est in ordine ad obligationem dotis quam
coniugium carnale, cum sit in se multo præstan-
sus, & leges soleant causis piis præ ceteris fave-
re.

478 Pars 3. tract. 5. cap. 4. De quarto præcepto.
re. Sic disertè docet & probat Sanchez de ma-
trim. 1. 4. disp. 26. num. 7. citans Felinum, Bald.
Greg. Lopez, Menochium, Bonacinam, quibus
recenter accedit cum aliis Leander hic tract. 1.
disp. 12. quæst 15.

Quæres secundò. An, & qualiter peccent pa-
rentes qui filiam invitam cogunt ut Monasteri-
um ingrediatur?

Resp. graviter peccare: quia violant ius quod
habet filia ut sibi statum vitæ liberè eligat, qua-
est gravis injuria, utope in re maximi momen-
ti. Imo parentes, & alij ad hoc cooperantes, in-
ciderent in excommunicationem latam à Tri-
dentino sess. 24. cap. 18. de Regular. ubi hoc ip-
sum disertè statuitur. Præterquam in casibus à
jure expressis: ut si constet fæminam fecisse vo-
tum Religionis: vel si sponsa post bimestre ob-
inito matrimonio, de Religione adhuc delibe-
rans, non permitiat matrimonium consumma-
ri: vel si fæmina ob crimen damnata v. g. ad
perpetuum carcerem, conditionem Religionis
ingrediendæ acceptet, &c. in his enim casibus
cogi potest, cum ipsa se obligaverit, ut tradit
etiam Henriquez, Portel & Leander infra.

Notandum tamen, 1. Quod si parentes non
filiam, sed filium cogerent ad Religionis in-
gressum, etsi graviter peccarent, excommuni-
cationem illam probabilius non incurrerent.
Quia cum Concilium de fæminis tantum men-
tionem faciat, non debere ad filios extendi do-
cet Leander in hoc præceptum tract. 1. disp. 6. q.
19. Palacius, &c. 2. [Non incurri si parentes ad
hoc efficiendum metum tantum levem filiæ in-
cufferint, quia hoc non est cogere ut loquitur
Concilium, censet Bonacina, Suarez, Sanchez,
Leander, supra.

Q. 478

Quares tertio, An , è converso, parentes vel alius sine causa impediens filiam ab ingressu Religionis similem reatum , & censuram incurant?

Resp. affirmativè, ex codem Tridentino supra cap. 18. ubi sic decernit : Simili quoque anathemati subiicit eos qui sanctorum virginum, vel aliarum mulierum voluntatem vel accipiendi, vel voti emitendi quoquo modo sine justa causa impedierint : ita etiam Bonacina, Sanchez, Pellizarius, Suarez Tom. 5. in 3. p. disp. 23. sect. 5. Causa autem justa impediendi possit esse, si quis prudenter judicet filiam aut filium ad Religionem verè ineptum esse : vel illum Religioni noxiā fore; vel quia in Religione quam ingredi intendit perverse, aut dissolutè vivitur: ut annotat Suarez de Relig. tom. 3. lib. 5. cap. 9. n. 9. Molina, Decastillo, Bordonus, aliquie.

Queres quartò, An peccent mortaliter parentes, qui sine justa causa, sed absque fraude, aut violentia, importunis precibus Filium retrahunt à Religionis ingressu. Respondent omnino affirmativè, Sotus, & Navarrus cap. 12. num. 44. &c. 14. tr. 17. quia id cedit in filij grave præjudiciū, citans etiam D. Antoninum, Paludanum, Angelum, Sylvestrum, Tabienam : nec non Sayrus in Clavi regia lib. 7. & lib. 11. & apud ipsum Ledesma Pet. Navarra, Aragon, Saloniūs & Greg. de Valentia: accedit Miranda, Bordonus, Molina, Dicastillo, Fagundez, Leander, aliquie: quamvis hoc ex parte restringat Suarez tom. 3. de Relig. lib. 5. cap. 9.